



SERENISSI-  
MO FRANCIS-  
CO MARIAE II. URBINI VI.  
DUCI OPTIMO AMPLIS-  
SIMOQUE.



**A**UREA & percelebris Platonis Phi-  
losophorum sapientissimi confirmata,  
& plenè comprobata sententia, in te  
unicè fuit, SERENISSIME PRIN-  
CEPS, felicissimè scilicet actum iri cum  
regno, ubi vel Rex ipse philosopharetur, ac doctrina  
animum suum excoleret, vel sapientes & eruditos ho-  
mines constitueret, qui totius regni administrationem  
fidelissimè & sapientissimè gererent. Id utrumq; effectum  
est abs te miro ipsius regni plausu, & universali gentium  
acclamatione. Plato idem solidioris doctrina fons, duo  
philosophiae munera atque officia esse voluit, nimirum  
divina nosse, & humana gubernare, & tùm demùm  
felices ac beatas fore Respublicas & Regna signifi-  
cat, cum Rex divini cultus, cælestiumque rerum cogni-